XIIII, puncta VII, ſecunda XXXVII. Arcus uero b h gradus XXXVI; cuius chorda partes XXXVII, puncta IIII, ſecunda LV. Sic ergo quæ eſt proportio partium CXIIII cum punctis VII, ſecundis XXXVII; ad partes XXXVII cum punctis IIII, ſecundis LV: eadem lineæ e z ad lineam e d, atque e d ad lineam e K. de partibus quæ LX lineam e d faciunt: habebit linea e z partes CLXXXIIII, puncta XXXIX, ſecunda XXXXII: linea uero e K partes XIX, puncta XXIX, ſecunda XXXXII. Ex his conſtans eſt, ſiquidem lineæ duæ ſimul iunctæ faciunt diametrum horizontis; cuius modo mentionem fecimus, quemadmodum diametrum zodiaci ſemidiametri tropicorum: eam diametron metiri partes CCIIII, puncta IX, ſecunda XXIIII; ex eis, quæ CXX diametron æquinoctialis metiuntur. unde ſemidiametron horizontis eſſe neceſſe eſt partes CII, puncta IIII, ſecunda XXXXII: centriq; eius ab æquinoctialis centro diſtantiam partes LXXXII, puncta XXXV, ſecunda III.

Hic locus eſt argumenti Maslem. Quia deprehenſum eſt (inquit) quota diſtantia æquidiſtantes recto circulo terminant lineam d t z, & d k h, ut ſemidiametros auſtralis